



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola XVII. Alexandri Papae II. Ad Evmdem. Hortatur vt in causa
abbatissae e Laudunensi monasterio iniuste eiectae cognoscenda
Elinando Laudunensi episcopo, iuxta tenorem commissionis apostolicae, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

EPISTOLA XVII.
ALEXANDRI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

Hortatur vt in causa abbatissæ e Laudunensi monasterio iniuste eiectæ cognoscenda Elinando Laudunensi episcopo, iuxta tenorem commissionis apostolicæ, consilio assistat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei carissimo fratri Gernasio Rhemensis archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

PROCLAMATIO delata est sanctæ apostolicæ sedi, quod abbatissa Laudunensis, monasterii scilicet sancti Iohannis, sine canonica audientia & iudicio episcopi sui a regimine suo eiiciatur. Quod nimirum quia canonicis institutionibus omnino videtur esse contrarium, admonuimus confratrem nostrum Elinandum Laudunensem episcopum, vt hanc causam diligenter discutiat, atque canonicè diffiniat. Ita tamen, vt eadem abbatissa, priusquam discussio fiat, regimini suo, sicut sacri Canones præcipiunt, restituatur. Inuitamus igitur fraternitatem tuam, vt manum adiutorii tui ad hæc exequenda sibi tribuas, & vt hoc negotium iuxta tenorem literarum nostrarum, quas sibi misimus, determinetur, te adiutorem & cooperatorem adhibeas. Quod quidem sollicitudinis studium, etiam si apostolatus nostri literis præmonitus non esses, oporteret tamen deuotionem suam impendere, ipsumque Laudunensem episcopum, quia parochianus tuus est, ad hoc peragendum incitare. Non dubitet igitur prudentia tua hunc laborem arripere, seque pro domo Israel murum opponere. Et quia officii tui est pacem diligere, sicut iam te sæpius admonuimus, iterum admonemus, vt pacem cum carissimo nostro duce Godefrido studeas componere. Periculosum est enim ecclesiam tuam tanto discrimine fatigari, & nobis importabile tot accusationibus pulsari.